

evehit, & sibi ipsi in hoc mortalitatis theatro
jam immortalitatem quasi propriam vindicat
Rex noster longe Optimus. Prima quidem
cogitanti mihi sese offert *Regis Augusti CA-*
STA & SINCERA in DEUM PIETAS, Regina pa-
rensque virtutum omnium, & sanctum illud
vinculum, quod nos DEO, DEUM nobis
jungit. Originis enim suae memor *Rex*
Pientissimus per preces ardentissimas, DEO
suo perpetuo fruitur atque utitur quasi fa-
miliariter; Cogitatione etiam, inter coelites,
& Divinarum mentium concilia versari
gaudet, ac non aulam modo sanctissimo suo
exemplo, ad parem cultum Numinis ex-
citatur, sed universis civibus, coeleste Nu-
men rite colendi proponit rationem atque
imaginem. Constantinum Imperatorem
tradunt veterum monumenta saepe apud
milites, saepissime apud amicos de fide ac
Pietate in DEUM multis verbis egisse, reli-
giosissimisque hujusmodi vocibus magno-
pere esse delectatum. Pari modo Theodo-
sium Arcadii filium saepe numero bene ma-

E

ne